Universitätsbibliothek Paderborn

Methodvs Expeditæ Commvnionis Tum pro Sacerdotibus, tum pro omnibus fidelibus communicaturis

Tamburini, Tommaso

Coloniæ Agrippinæ, 1657

An tempore interdicti generalis ministrari Communio possit, §. 7.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41783

Visual Library

quod contra traditam à nobis doctrinam, non eſt.

§. 7.

An tempore Interdicti generalis miniſtrari communio poſsit?

33 POteſt ſolum pro Viatico *a* ſive infirmis, ſive morte puniendis: quia caſus neceſſitatis exceptus eſt: ut etiam excipitur confeſsio. Immo confeſsio, propter majorem ejus neceſsitatem, ſemper, *b* nec ſolum inſtante morte, excipitur: modo, ſiquis dederit, cauſſam Interdicto, ut etiam & ille, qui eſſet ſpecialiter interdictus, ſatisfaciat, vel det ſufficientem cautionem, *c* pignoratitiam, fidejuſſoriam, vel ſi talem non poſſit, juratoriam, ante abſolutionem. Quod ſi non ſatisfecit, propter inadvertentiam, vel

a *Suar de Cenſ d. 33 ſec. 1. n. 27 aliique paſſim.*
b *Iidem.*
c *Laym l. 1. tr. 5 p. 4 c. 2. n. 1.*

aliud antè abſolutionem; puto ſatisfaciendum eſſe ante Viatici ſumptionem.

d *Bon. de Interdict. d. 5. p. 3. §. 2. n. 1. & paſſim.*

e *Laym. ibid.*

34 Parochus ergo, &, hoc impedito, aliquis ex Sacerdotibus, Euchariſtiam, cum ſolito comitatu, & luminariis, propter Chriſti reverentiam, ad infirmos, etiam tali tempore, deferre tuto poterit. *d* Solum adverte eos Sacerdotes, qui cauſſam dederunt Interdicto, quia ab Euchariſtia miniſtranda, peculiari jure prohibentur, tempore Interdicti; ideo, ſecluſo neceſsitatis caſu, *e* eſſe omninò à tali miniſterio excludendos.

f *Bonac. ibid. n. 9.*

g *Sayrus, Avila, Alterius, apud Bon. ibid. § 2. n. 12.*

35 An Religioſis vel Monialibus, qui cauſſam non dederunt Interdicto concedatur, eodem tempore, miniſtrare, vel recipere Euchariſtiam; quiſque ſua conſulat *f* privilegia.

36 In die Paſchatis denique an liceat etiam laicis communicare? dic, *g* ſecundum communem

nem opinionem, non licere: licere autem ſecundum probabilem. h Putat tamen Filliuccius, i in praxi, ſervandam eſſe loci conſuetudinem. Quid ſi nulla appareat introducta conſuetudo? Iam alterutram ex dictis opinionibus ſequi potes.

h Suarez, Con. apud eund. Bon. ibid.
i Fill. to. 1. tr. 18. c. 2. n. 41.

FINIS.

Laus Deo Beatiſsimæ Virgini, ac B. Aloyſio.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN